Tract. teol.

Ciecha-now-ski rector Aka-demii Chet-mińskiej i S. Win-centego Zakt-dowi w Chet-mnie 1720.

1 52.

LILIUM
Virtutum & Meritorum odore
FRAGRANTISSIMUM
è Celeberrimo GALLIÆ *Lilieto.*
in novennocolle CULMÆ *viridarium*
TRANSPLANTATUM.
Venerabilis & Eximius Servus DEI
VINCENTIUS
à
S. PAULO
Fundator Congregationis MISSIONIS
pientissimus.
Ipso obitûs Ejus Anniversario
In Academia Culmensi
Anno Dni 1720. *Die* 27. Septembris
Exercitii Studiorum causa
Pro Sabbativa
EXPLICATUM
Luci verò Publicæ
à

M. ADALBERTO HIACYNTHO
CIECHANOWSKI.
Philosophiæ in alma Universitate Cracoviensi Doctore, ibidemque Scholæ SS. Omnium Seniore ac interea in Culmensi Academia Rhetorices Professore & Studii Directore.

PRÆSENTATUM.

THORUNII
Impr. Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typograph.

HIc est VINCENTIVS a *PAVLO*; in cujus Instituti reverentiam, mitras deponunt Præsules, Hic VINCENTIVS, in cujus Personis, nihil dissolutum, in moribus omnis cultura, in Oratorio frequens gemitus ut *Turturis*, in labore circa proximum, visceralis amor ut Pelicani. Quocunque pedem religiosissimi infertis Missionarii, lac infantibus amarum, Senibus absynthium, svave redditis, cum omnium viscera, dulcissima imbuitis pietate. Hoc VINCENTIVS vester habet manna absconditum, quod Cibum conversationis vestræ nulla anima possit nauseare. *Neothericus in* Panegyri *Illustrissimo olim Michaeli Tarla Episcopo Posnaniens. titulo Purpura.*

Ad

Sacrum Institutum
CONGREGATIONIS MISSIONIS
Domûs Culmensis
Prophasis.

NOluit Fundator Vester VINCENTIUS, *alieno sub nomine, lucem videre publicam, nisi sub hoc, quod ab Ipso procederet; & cùm* LILIVM *sit, in Vestris cupit videri manibus, cujus odore & cor & animus* Vester *satiari non potest. Perillustres & Admodum Reverendi Domini. Quis enim Vos separabit a* VINCENTIO? *& quis* VINCENTIVM *a Vobis? Vita Ejus in Vobis est: & Vestra in Eo fuit semper. Vester* VINCENTIVS *& Vos* VINCENTII. *Vita Vestra, Vita Ejus. Fervor cordis vestri pientissimus corde* VINCENTII *agitante incalescit ac exardescit. Odorem quem Sacrosanctæ Ecclesiæ intulistis, ab hoc* Lilio *provenisse, laudi maximæ ducitis: imo* LILIVM *hoc fragrantissimum in uno quoque Vestrûm, tanquam suo Viridario candidissimè crescit & florem explicat præstantissimum. Vidit Orbis* Vestros ALMERAS, ZOLLIOS, PIERRONES, VATELOS *Generales & vidit in Eis* VINCENTIVM. *Vidit Sarmatia Antistitem Posnaniensem* MICHAELEM TARŁO, *sed admirata Angelum potiùs, quàm hominem cum nomen quidem Angeli haberet; sed Spiritum* VINCENTII. *Fuit ille Senator* Regni, *sed fuit & apostolus nam alterum agebat Stanislaum. Est & modo quod miremur in Vobis* Reverendissimus Generalis Vester BONNETVS, *Sanctitatis*

tis Speculum est. *Et in* POLONIA Perillustris VISITATOR FABRI, *virtutum Faber est. Sed & Domus Culmensis angelicâ Vitâ Vestrâ rapit omnes in stuporem. Nec mirum sub Archangelo Principe, manendum angelis.* Perillustris Dominus *MICHAEL MATTHEUS WALTER Superior Vester est, Loci vero* ArchiPresbyter & Præpositus, *Angelos repræsentat nominibus & sic cælestem agitis vitã.* Culma *Ipsi originẽ dedit, daret & culmen honoris, nisi humilitate sua respueret illud, quanquam & sic culmen ipsum sequitur gloriæ. Vir hic summis par, major aliis, præsidet verendus omnibus pariter & amabilis, & non solum dignitate præest, sed & virtute; hac ad probitatem, illâ ad reverentiam, utraque excitans ad perfectionem. Regimen Academiæ tenet & gaudent sceptra Academica tanto Principe. Obfuscarentur jam rubigine, nisi ille expoliret, dum ad pristinum statum restituit Gymnasium. Pastor Ecclesiæ est: & pretioso monili ornat sponsam, dum præter sollicitudinem circa Oves, etiam Altaria DIVUM Splendere faciat: Claret ille Bonis Animi, claretis & Vos & sic omnes unum exprimitis VINCENTIUM. Imo tanta virtus vestra, ut quamque excedat Panegyrim, qua Vos & ego prosequi non audeo, cum sciam vos laudare, nisi proprio ore mereri: unde unico verbo vestram complectar laudem Filii. VINCENTII estis Patrem possedistis, dixi omnia. Suscipite ergo Patrem vestrum & LILIUM, cujus odorem fragrantissimum in prosperis Successibus, & Nestorea experiemini Vita.*

Hoc exoptat

Nomini Vestro

Devinctus Cliens

Director *Academiæ* Culmensis.



ORATIO.

HActenus inter domeſtica morari placuit limina, hodiè tandem Divîs auſpicibus ad exoticas Gentes peregrinari animus venit. Auditores titulis Majores. Dulce quidem natale ſolum, ſed alieno ſub Sole jucundius; amica patria, ſed Exterorum viſitatio neceſſaria; chara domus, ſed tantùm inter Patrios lares focosque morari; inglorium. Imo infame eſt, generoſæ Polonæ indoli, ad magna natæ & majora enutritæ, egregiam docilemque juventam ſuam domi corrugare in otio, infamius non noſſe homines populosque, excedit infamiam illi Claudianæ ſubjacere cryſi.

Ipſa domus puerum, quæ vidit, ipſa ſenem. Pulli Aquilæ ſumus, ergo evolandum ad ſolem, ut ſic magis noſtra acuatur palpebra. Sol hic exteræ Nationes ſunt, mens palpebram agit. Ab hoc ſole, ideſt Exoticis gentibus, cognitionem capimus rerum, prudentiam paramus, domum redimus ornatiores. Vlyſſes (quô Græcia ſapientiorem non habuit, decennale Trojanum excidium, inter tot reges, & principes verſatiorem non vidit) unde

undè tantam acquisiverit scientiam ! ut & Homerum Elogiasten, & gloriam orbis mereatur, dicite auditores ? Alieno à sole his incaluit radiis, exotica limina, tanta sapientiæ compararunt lumina, ob quæ, totus orbis, cum Horatio. Videre desiderat Virum ;

Dic mihi Musa virum, captæ post funera Troiæ
Qui mores hominum, multorum vidit & urbes.

Et benè. Ibi enim, multa audimus, multa discimus, multa oculis cernimus, quæ nullo doctore, nullaque disciplina, unquam possunt perdisci. Juvor hac in parte, Cassiodori sententia. Jnterdum expedit patriam negligere ; ut Sapientiam quis posset acquirere : Vlysses Ithacus, nisi hoc fecisset, in laribus propriis forsan latuisset. & in alio loco. Prudentiores illi semper habiti sunt, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi. Ergo his fultus jam feliciter arripio iter, carpo viam. Sed quó fata ducent ? quó mens anxia curret. Ex Polonia, migro in Gallias. Miramini forsan Auditores, cur non alibi ? Fateor Hippomenem non ago, ut per Imperii campos, cursu alite, Atalantam secter volantem : nec ipse evolare novi, ut in nubibus cum Aquilis maneam. Amphitritem sociari non vult, quæ me per Pannoniæ profunda gloriæ ducat flumina. Herculis, vires non habeo, ut cum Tartariæ lucter Dracone, & Bubonem etiam seu Noctuam timeo, nè mihi ultima fata clamet. Melos mihi Silesianæ exosum Syrenis, cum vitâ spoliet. Vrsos Provinciarum odi, quód acephalum ut sangvisugæ corpus relinquant. Belgii & Sveciæ ut reprimam Leones ; Lisimacho Comite opus. Gryphos horreo, nam & si aurea ament viscera, exviscerant. Turres & videre recuso, ne carcerem agant. Venatorias audire Tubas, (ne ipse citiùs vener ab eis) non prætendo. Scorpiones abherreo. Monstra Chinarum deterreo : ubi veró splendet Luna, nè me orbis Noctivagum putet ; non ibo. Sardinæ fumosis imaginibus, & Æthyopicis capitibus, quæ terrendis, magis serviunt pueris ; non egeo. Monaci Crepundias, seu Lusum Abaci, relinquo voluptariis ; ipse interea Galliarum peregrinatione contentus. Præter enim politiem illam, quâ omnes superat Gentes ; præter affabilitatem, quâ omnino universos excedit populos ; præter alia, quæcunque commendant regnum illud, Gallia hortus est, & amæna voluptas : imo Gallia cúm in suo Viridario, immarcescibilia producat *Lilia* LILIETVM est. Ergo horum odore captus, intendo in Gallias.

lias. Non ſpero hac in parte criſim, cum & DEos ſciam in amæna deſcendiſſe Tempe: cauſa mentis recreandæ. Amæniora Tempe Gallia, quam his pacatioribus intra patriam temporibus, licet conſcendere. Non erravit, quisquis hoc, floridum nominaverit regnum, ſemper enim pubentibus viret floribus, agregiis ſuperbit foliis dum candidis floret *Liliis.* Latè horum *Liliorum* fragrantia diffunditur, nam & Eccleſiæ ſpargunt odorem, Regno, Civibus, incolis, peregrinis & vicinis regionibus candorem. Jam captus amore *Lilii*, ut quondam Venus Roſæ, ſteti in Galliis, & in ſtuporem rapior, inter alia LILIUM videns, non tam naturæ dono, ſed Superûm favore creſcens Venerabilem & Eximium ſervum DEI. VINCENTIUM à PAULO, *ſacerrimæ Congregationis Miſſionis pientiſſimum Fundatorem.* LILIUM hoc virtutum & meritorum odorem fragrantiſſimum, non tantúm per vaſtiſſimas & ampliſſimas Galliæ Oras, ſed etiam univerſi orbis plagas diffundit ſvaviſſimè. Ergò illud ex celeberrimoLilieto GALLIÆ in Novennocollis CULMÆ Viridarium transplantabo.LILIUM jam apud me es, ſed candiſſima Tui permitte explicare folia. Imple nares meos, odore ſcientiæ, ut dignè Te ſciam, in his tranſplantare Montibus. Tu veró Auditor digniſſime, dum tantam miraberis pulchritudinem LILII, ſi illud odorari cupis, non denega attentionem.

Nullum florem provida natura creavit, ne ſit proficuus orbi, ſed ut totum eſſe, in commoda populi debeat; *Lilium* verò & Florum Reginam voluit, & in maxima debilis vitæ humanæ, ordinavit remedia AA. Et juſtè quidem ceſſit *Lilio* florum imperium, nam tranſeat, quòd ſupereminεat eis; tranſeat quòd melifluam ad ſe alliciat apem, & venenoſum fuget perimatque ſerpentem: tranſeat quòd regium ejus latus, ſpinarum armetur ſatellicio; ſed quod inviſum Veneri; notandum. Quòd verò maxima debili vitæ humanæ ſubminiſtrat remedia, docta, hac in parte, Galenorum ſufficiat fides. Præter enim quòd ſuos ex *Liliis*, diſtillant Spiritus, producant ungventa, medicamina parent; maximos etiam *Liliis* curant defectus. Datur né & videntior & execrabilior ſanitatis defectus, veneno? & tamen incluſit *Liliis* ſummus rerum Opifex remedium, quæ pellant illud & venenata purgent viſcera & reſtituant ſanos. Verbo ut *Liliorum* venuſtas & magnificentia pateat. Ipſe cæleſtis Agnus, inter *Lilia*, niſi paſci voluit: ut vel hinc & prærogativæ & virtutis majoris inter alios forent *Lilia* flores. Et veré excellit *Lilium* flores, dum in ſacra cælis tranſit bellaria, jucunda parat convivia.

Locus

Locus *Liliorum* eſt, ſecus decurſus aquarum, creſcunt & alibi, præcipuè tamen magnitudinem, pnlchritudinem & odorem nanciſcuntur: Si aquarum prope fontes, implantentur. Vt iſta omnia in noſtro pateant LILIO, natalem Ejus ſcrutamini. Naſcitur ſeu plantatur LILIUM noſtrum in Galliis, in orbis ſcilicet LILIETO, ſed pullulat flos, ab alia parte Montibus, ab alia. Fontibus, vallatus. Scilicet naſcitur in loco, idiomate Gallico POY dicto, á potu quaſi, quod ſcilicet Cæleſtis dulcedinis & Ambroſlæ potum prædebit populis, potum pretioſiorem propinabit fidelibus, quám Cleopatra Antonio: potabit nam fideles Chriſti, vinô Spiritûs Sancti, vinô illo, quod germinare facit Sanctas Virtutes. Pullulat LILIUM noſtrum ad Civitatem ACQS; propè aquas ſcilicet. Futurus enim erat VINCENTIUS, qui manare & ſcatere debuerat fonte illo, qui ſua de cælis meruit habere principia; illo fonte, qui nobilior Erydano, ſolus & unicus vivus dicitur. Imo ideo prope aquas naſcitur, nam aquas, quas ſupra firmamentum, ſummi Conditoris ſuſpendit manus, ad ſui pullulationem VINCENTIUS allecturus erat. Naſcitur prope Montes *Pyrenenſes*. Montes hi Gallias dividunt ab Hiſpania, protenduntur ab æquinoctiali Exortu, in brumalem occaſum. *Pyrenenſes* dicuntur ab igne, quod ſcilicet, crebris fulminum ignibus feriuntur. Hæc eſt ergo terra, in qua pullulavit LILIUM noſtrum; Hæ ſunt floris noſtri deliciæ. Hæc ſunt Viridaria, inter Montes & aquas condita: ut ſcilicet ad videndum LILIUM Cælites in Montes deſcendant; homines verò adnavigent undâ; miro LILIJ recreandi odore. Pullulat inter aquas & Montes igneos, ut ſit LILIUM verum, extra candidum, intra aureum ſeu fulgidum ab igne Montium: hæc utique natura *Lilii*. Sed pullulat ad Montes. Montes hi termini ſunt Galliarum & Hiſpaniæ. Non vanè auguror. *LILIUM* hoc, cum in ortu, Regnorum terminos mereatur, poſtquam excreverit, & terræ & Cæli implebit terminos. Aut. Non capit ſemen hujus *LILII* naſcentis, regnum unum, excreſcentis pulchritudinem nullum capiet, imo nec orbis ipſe, niſi Cælum. Pullulat ab ortu in Occaſum, quaſi nulla ſit orbis plaga, quæ non recreetur ſuffimine hoc; quam vel in filiis ſuis, odore Fidei, odore gratiarum cæleſtium, non impleat. Naſcitur ad domicilium ferme fulminum, ut aſveſcat, (velut alter Mytridates venena) eludere fulmina, ſi quæ, homicida mortalium expoſt in eum, tonabit Sathanas. Pullulat inter ignes, ut lumen Fidei, accendat gentibus, recreet juſtos, pios illuminet, fulguret & perimat Hæreſes. Sed naſcitur inter Montes & Aquas; Vt ſe cum aqua, quæ niſi viſcera terræ occupat; humiliet: & ipſis montibus, ideſt ſuperis pateat. Verum vallent TE DIVINE PUSIO montes hi & aquæ, aquæ toto orbe diffluunt, ergo per univerſum

ſum

ſum tuum portabunt odorem. Vallent montes, citiùs de illis videberis in plano, ipſe hujus agri *Liliis* pleni, cælos aſcendens odor, attrahet mundum, ut flore Tuo oculos, odore nares, hoc eſt pulchritudine mentem, virtutibus corda beet.

Multúm hodiè juvat, Auguſtone Patre nati ſumus? aut ſi ſcipionem habuimus Patrem. Egregium eſt a Pyrho ducere genus: Matre Lavinia, aut ſi non olympia, certè Cleopatra, aut ſaltem lætari Octavia. Etiam noſtrum VINCENTIUM & Pater ANEAS & Avunculus excitat HECTOR. JOANNES *a Paulo*, nomen patris. Propheta, quó non ſurrexit major, & Doctor gentium in uno nomine. BETRANDA de *Moras Mater Ejus.* *Bertrandos* & Sanctos & reges legimus. *Moros*, præter grande nomen Cancellariatûs Galliæ, primæ ſcilicet magnitudinis ſidera, etiam Cælo teſte, veneramur Divos. Tantis ergo natum Parentibus, quis neget eum exceſiſſe Regum natales, Principum Familias, Heroum Domos; cum Reges, Principes, heroes & Sancti, hujus præludunt natali. Tantum genus Infantis noſtri, nil humile ſentire cogit de VINCENTIO. Erit erit VINCENTIVS & Eremita puſio, & Præcurſor Domini, erit & Apoſtolus, erit & Doctor gentium. Elevatur à terra LILIUM hoc ſeu creſcit Divinus Puſio & ſortè inter fratres agit paſtorem. Benè eſt. LILIUM eſt VINCENTIUS. In campis naſcuntur pulcherrimè LILIA, in campis videte VINCENTIUM. Sed Paſtorem ne exprimit VINCENTIUS, an paſcua? dubium eſt. Paſcuam exprimit cum ſit LILIUM. Paſtorem: cum ab ovibus ſuis bruta nociva repellit, tutasque ab animali reddit rapaci. Paſcuam, cúm futurus ſit qui ovibus Chriſti ſuum ſubminiſtret pabulum. Paſtorem, cum animam ſuam pro fidelibus dare deſiderat. Pabulum tamen eſt quia LILIUM. Quo Agnus ille paſcitur, qui & Leo de Tribu Juda dicitur.

Explicaret jam folia LILIUM noſtrum, ſed irrigari cupit, ergo; ut Ceruus nitidas currit Sitibundus ad undas, ſic noſter VINCENTIUS ad ſcientias: quas cum ut aquas hauriret, ſeu iis in propinquo irrigaretur Aquenſi Athenæo, deficit Ciſterna, Vnde ad fontem Toloſſam ſcilicet & Starogaciam divertit in Hiſpanias. O quale LILIUM erit! ſi tenerum adhuc exſiccat flumina! Si paruum non contentum fluviis! Auguror hinc Auditores, non multæ tantúm aquæ, ſed ipſæ etiam ſi de Firmamento exciderent, futuram ejus non extingvent charitatem. Fontem hauſtum, juſtum corona-

coronare censuit antiquitas; habet & VINCENTIUS, cúm LILIUM sit, quo coronet hunc fontem. Sed mira Methamorphosis est, imo novum prodigium & paradoxum. Fons VINCENTIUM coronat, *ACADEMIA* facit *DOCTOREM THEOLOGIÆ*, facit *MAGISTRUM* Sententiarum. Explicat ergo jam & folia sua LILIUM nostrum, explicat & odorem Virtutum & meritorum fragrantissimum, in cathedra scientifica. In qua ea claritate arcana fidei revelat VINCENTIUS, ac si in cælo fuerit aliquando, & ea viderit, quæ si oculos haberet videret fides & foret Experimentalis scientia. Sed non diu felix Cathedra Theologica VINCENTIO. Elegit latere VINCENTIUS in profundo humilitatis, & ob id Sacram resignat Cathedram, Doctoratum, usque ad mortem latere cupit. Verum DOCTOR Sapientissime non possunt Civitas supra montes, & in candelabro occultari faces Gemma in profundo maris unio est, & in terræ visceribus metallum, sic in nucleo Ilias. Ergo & TU in abysso humilitatis TUÆ; VINCENTIUS es, DOCTOR es. Scitis unde tanta humilitas VINCENTIO. *SERAPHICUS FRANCISCUS* mutatus in eum. Jnfans ipse dum studia tractavit in Lycæo Aquensi, in Domo Minorum manserat, ergo quæ ibi didicit orbi præsentat. Quidquid tamen facis VINCENTI, scias Tibi inimicum honorem, nam ille sequaces deserit, sequitur desertores.

Spinis vidimus circumdari *Lilia*, nec desunt VINCENTIO, præter enim illas, quibus quotidie artus suos angebat & corpus, etiam Divina Manus afflictiones addit. Sed erravi. Aureum intus est *Lilium*-Aurum DEUS his ignibus probat. Gemma in auro pulchrior. Liber, si in compactione non sentiret fissuras arcturasque impolitus esset. Passer Canarius, ni Caveam sentiat, modulari nesciret, nec unquám tam egregium Cantare melos. Pulchrum & nostrum in spinis LILIUM. Adhuc Sacræ Paginæ Professor VINCENTIUS, & jam omnium sibi conciliarat affectum, & ita quidem, ut nemo fuerit, qui Ejus amicitiam non quæreret. Nullus Princeps, qui filios suos, per Eum erudiendos non optaret; nam discipulos, non sapientes tantúm, sed sanctos effecerat. Nemo erat, qui VINCENTIO non optaret bona, nemo erat, qui etiamsi invitum ad honores & dignitates non promoveret. Omnis dignitas sæcularis, omni voluit maritare VINCENTIUM Spirituali dignitati. Inter hos præcipue *Esspornensis Tetrarcha*, cum aliis & Ecclesiæ Principibus & Orbis Ducibus: non Abbatem tantùm. sed Episcopum videre voluit, in quem finem suam navabat ope-

operam, ut quám citiſſimé Candelam hanc, lumine ſacro fulgentem, in Aureum Eccleſiæ candelabrum eveheret. Seu *LILIUM* noſtrum Virtutum & Meritorum odore fragrantiſſimum in hortum transplantaret illum, qui ipſi niſi SPONSÆ CHRISTI patet. Et cum ſic de VINCENTIO cogitat orbis. Summus propoſitorum humanorum Arbiter DEUS, aliâ viâ creſcere *LILIUM* noſtrum deſtinavit. Amor ille, in VINCENTIUM, cum omnium occuparet corda, omnium dominaretur pectoribus, omnes ad eum amandum alliceret. Ecce quidam proximus morti *Toloſſanus*, totius quæ fuerat ſubſtantiæ ſuæ noſtrum VINCENTIUM facit eſſe hæredem, omnia ſua reddit *Vincentio* diſponenda. Multa nimis erat Viro illi ſubſtantia, non tantum enim Toloſſa, opibus, agris, villis, prædiis plena erat, ſed Regio etiam transmarina Marſilia illum ſuum jactitabat dominum. Subvenit *VINCENTIUS* menti Teſtatoris, tam gravem diſpoſitionis non recuſat laborem, ingenti oneri illi ſvaviter ſuos ſupponit lacertos. Ergo diſpoſita Toloſſæ fortuna, etiam illam in Marſiliam diſponendam deſcendit, qua debité cum honore & gloria DEI diſpoſita rediens, vallatur hoc *LILIUM* ſpinis, dum Pyratis in ſpolium cedit. Videre erat tunc ſpinas illas, quám vallabant fortiſſimé *LILIUM* noſtrum, imo ſuffocandum voluerunt, dum venenata vepreta ſua infigunt *LILIO*, ſeu extendunt Pyratæ illi ſpicula, perforant ſagittis, vulnerant ferro, torquibus & fuſtibus ligant, Jam in Barbaria ſeu illa Pyratarum Spelunca Affrica variis torquent caſibus, jam denudant veſtibus, jam prout aliqua animalia vendunt, jam affligunt cruciatibus. Eheu! jam in tantis Spinis, in tantis acerribus noſtrum ſuffocabitur LILIUM ! Minimé Auditores. Venditur quidem Piſcatori hoc LILIUM, quod ſemper Aquis & adhuc marinis, dum aſpergere cupit, videt alterationem, ſeu potiús nocere videt aquam hanc LILIO, né ergo marceſcat, ſeu laborans morbis, moriatur VINCENTIUS, transplantat illud in Alchimiſtæ agros cujusdam. Ratus Alchimiſta *LILIUM*, candore floris & foliorum viridi colore, hebetatum nimio igne recreat viſum ; ſed cum & annorum preſſus, onere, & prægravatus labore ſuccumbat, iterum in alium LILIUM noſtrum transplantatur hortum. Fertilem ſortitur terram *LILIUM* noſtrum & ſi in Pagani & Apoſtatæ ſimul poſſeſſionem devenit. Nam ſenſit odorem Ejus Apoſtata & ad unionem Sanctæ Romanæ redit Eccleſiæ, unde Romæ cum ſumma pænitentia Ordinem Sancti *Joannis de DEO* ingreditur. *LILIUM* Vero noſtrum *VINCENTIUS* Romæ tantiſper hæret, ſed non ſteriliter. Non enim oculos erudire cupit, nec ut pictos in

Tabulis

Tabulis Quirini colles aliis demonſtret, videlicet ubi locorum Vitelii culina fumaverit, ubi fornices Meſſalinæ ſe commiſcuerint, ubi Curcius occubuerit, ubi Sybilla Oracula reddiderit, quot aquæ ductibus rigetur Roma, quot Vaticana libros Bibliotheca numeret; inveſtigat: ſed potius in contemplatione ſuperum fragrantiſſimum Virtutum & meritorum ſpargit odorem.

Æſtimat orbis gemmas, æſtimat adamantes, ſed & raro ſuum attingit valorem & temporis multum inveſtigando conſumit. Sæculis opus etiam, ut digne poſſit odor LILII noſtri attingi, imo tota æternitate humanus pulchritudinem ejus non percipiet genius, nam indies & momenta novo repletur odore, novam emittit fragrantiam. In horto *Congregationis Oratorii*, in horto illo qui totus divinus eſt apparet *LILIUM* noſtrum: non quidem, ut illud adornet, ſed ut facilius aliud fundare poſſit; ut nouum Cælo, Lilietum effingat. Genium Cæli credidere Filii NERII, & ideo cum *VINCENTIUM* comitem habuere ſuum, cælum ipſum habere putabant: quoties audiverant dicentem, majus mirandum volebant quàm ſi Jupiter ipſe loqueretur lingvâ Platonis. Confluebant ad ipſum Patres, rati Angelum non ſocium: confluebant domeſtici, Numen non incolam venerando. Sed cum tanto ſplendore lætantur, recreantur odore, grave vulnus Sociis confratribusque ſuis, infligit pretioſus lapis, ſplendidus Congregationis illius Adamas, nam pietàte & virtutibus Clarior Berillo *Berullus*: dum *VINCENTIUM* Prophetico Spiritu prædicit, Novi Inſtituti Fundatorem. Planctus erat luctusque inter omnes, vix ſe ſpoliandos odore hujus audirent *LILII*. Volebat quisque florem hunc intueri, mirari ejus pulchritudinem, recreari odore: quo Cælum ſcirent, ſatiari non poſſe.

Veriùs ſui vaticinii ſortitus de *Bonaventura Franciſcus* effectum, quam Traſillus de Tyberio, Eremita *Bonus*, (ac quondam in Lycia Julius & Tacianus de Marciano) ſuo non fruſtratus AQUINATE. Nec *Berullus* VINCENTIO. Devenit ad affectum omen ejus, ubi SACRUM CONGREGATIONIS MISSIONIS *fundat Inſtitutum*. Garſias Navarræ Rex fundavit olim Eqvites Liliatos, qui in pallio deferebant cor, de quo Lilia procedebant: Plura noſter fecerat VINCENTIUS; dum *CONGREGATIONEM MISSIONIS* fundaverat. Equites illi ſunt *Liliati* & Heroes, nam odore ſuo, & hoſtem Mortalium Sathanam vincunt, & vepreta atque Vrticas in flores egregios mutant. Figmentum Homeri puto Oratores Romanos comediſſe *Lilia*. Viri hi *Liliis* vivunt, nam exemplari *VINCENTII*; *Liliis* vivunt, cum toto Orbe Chriſtiano, eum odorem, explicant, qui ad Cælos usque ducat·

cat animas. Meiire hic penna in *Filiis VINCENTIUM* : & discas fuisse Herculem. cum Filii Achilles. Scias fuisse *Fundatorem Eorum Lilium* virtutum & meritorum odore fragrantissimum, cum *Filii*, eum retinent odorem, qui sine miraculo non est. Nonne odor, amor ille SUPERUM ? quô, ità ardent, ut si non miracnlum foret ut NERIO PHILIPPO costas infringeret : ita ardent ut cum JGNATIO ignem spirare videantur. Hinc procedit ille animarum zelus, qui *Missiones* peragit. Videre *Missiones* Eorum, Cælum videre est; nam quæquæ Sanctorum congregatio est. Non vincatur adamas malleo, vincitur sangvine : Sic adamante duriora corda, non vincuntur conscientiâ, non vincuntur mediis boni, vincuntur ore Missionis. Testes hujus Hæretici, testes vitiosorum duces, testes vitæ proximi insidiatores: testes & alii qui prædicatione *Missionis* contriti sunt & ex infami, cælestem aggressi vitam. Occasionem *CONGREGATIONIS MISSIONIS* fundatæ quisquis scire cupit ? Scias *AMOREM DEI* & proximi: cum enim semel in bonis *Principissæ de Gondes*, Ruricolam moribundum disponeret, tunc vidit orbis, quàm ille, qui aliis justior putabatur, suo testatus ore ; nisi odore allectus esset VINCENTII periret æternum. Crevit ex inde *Sancta hæc Congregatio*, crevit & pietas orbis, nam impossibile ut videns *LILIUM*, ejus non capiatur amore: Sic videns MISSIONARIOS eorum non molliatur sermone. Cum Bulla, Maris magni, publicaretur in Gallia, tria apparuerunt in cælo *LILIA*. Cum *MISSIONIS CONGREGATIO* primò sisteretur Parisiis, absque dubio, non sidera tantùm omninò mutata in *LILIA*, sed quodque eorum vestigium, produxit *LILIUM*, ad quorum odorem Gallia versa in Elysios. Bellat animalia immunda ex Arabia, abundantia Liliorum. Orbis Christianus MISSIONARIIS debet, quod non immunda tantùm animalia ; sed etiam pejora Affricanis monstra sternant fugent atque perimant. Vltimò omnium *MISSIONIS CONGREGATIO* fundatur ordinum, ut vel hinc pateat primum Ejus *INSTITUTOREM* fuisse LILIUM, quod ultimò florum, etiam postquam Rosæ suum florem benè explicuerint, aperit folia. Hinc ultimi Operarii isti, in vinea CHRISTI, tantam humilitatem observant: ut omnibus tantùm inferiores, videri velint ordinibus ; sed etiam hominibus: & cum sint virtutibus Gigantes, pumiliones Juli censeri cupiunt. Et benè humilitas, thronus est magnificentiæ, vel ideo toto orbe jam crescunt *MISSIONIS* Collegia, quia in fundamento ædificantur humilitatis. Plura de VOBIS MAGNI PARENTIS, FILII reticeo, cùm, & quod PATRIS EST, VESTRUM EST, &

obrutus magnificentia virtutum vestrarum nequeo: id tamen honoris *Vobis* erit, quòd parem virtutibus vestris non habeatis laudatorem.

Speculum venerata antiquitas, dum lemma supposuit, omnibus omnia. Sol, sat honoris existimat, dum terræ prosit & cælo. Flores præter illud, quód mortalium oculos delectant, sanentque defectus, etiam Divorum aris inserviunt. *Lilium* nostrum totum sese DEO, totum proximo mancipavit. DEO primariò, dum omnia IN NOMINE DOMINI aggreditur. Pete consilium, exequi mandata cupias, expectes responsa, ubique nomen istud audies præpositum. Imo etiam domi & suæ & alienæ, ductu illius, videbis, DEUS NOS VIDET, appensum: quasi attraxit VINCENTIUS DOMINUM, ut non potentiâ solùm, sed præsentiâ maneret nobiscum. Domi si quæris *VINCENTIUM*, in cælo est. Nam ante *Sanctissimum*, non in cubiculo invenitur. Discedentem videas, Crucem tenet manibus, mente mysteria *Christi*, oculis vulnera. Vis facta videre *VINCENTII*, DEUM vide, in omnibus enim principium, finis, dux, semita, terminus idem. Gloria scilicet DEI, & amor Ejus. Zelus honoris DEI, vita erat *Vincentii*, paratus ipse & vita in Indiis ponere, & martyria pati. Madagascar insula sangvine Ejus gauderet, nisi Martyrii coronam *Nicolao de Elbene & Philippo Patte Filiis ejus*, ordinaverit *Dominus*. Excolebat ille agrum Vineæ *Christi*, & Ei multúm debet, quód spinas Hæreseos amiserit, & fide refloruerit. Credere non disputare cogit, hæreticas vitare loquelas erudit, quæstiones damnatas & cum eorum sequacibus velut ab igne fugit. Professionem Fidei quam corde profitetur & ore, scriptam pectore tenet, ut tangens pectus, profiteatur & fidem. Hinc vide quàm se DEO totum mancipaverit, sed respice quàm totum & subueniendo proximo.

Primus vitæ humanæ gradus, apertum est signum si quis magnifico animo in altas facinorum præeminentias eniti debeat: imo prima infantilium annorum elementa certissima sunt præsagia, qualia in matura ætate, orbi ac posteris seculis est producturus documenta. Adhuc infantilibus constrictus fasciis, septicipitibus minatur Hydris, contra Nemæos audaciam concipit Leones Hercules, dum á novercante immissos Junone discerpit colubros. *ELEMOSINARIUM VINCENTIUM* infantiles prodidere anni, dum duodenis necdum, & totum, quidquid collegerit de pecunia, obvio sibi tradit pauperi, ut vel hinc pateant quod in posterum Ejus liberalitate stabit orbis. Ea enim *VINCENTII* Liberalitas, quæ natura solet esse fæcundæ arboris, quæ

quæ non solùm quidquid habet, porrigit astris, sed etiam ultró dispensat sua dona, Colonis. Quidquid enim dederunt VINCENTIO SUPERI, concessum esse mutuum existimat, cum censu superis restituit, & in opum magnificentia, nihil magis suum existimat, quàm quod non in suos, expendit usus: sed expendit omnia in necessitatem *Cælitum* & egenorum, *Cælitum* veluti & egenorum depositarius: & non suarum dominus facultatum. Jam enim *Ecclesias* fundat, jam Aras adornat, jam captivos redimit, jam in triremibus pressos refocillat. Makona dicat, si Ejus Liberalitas non sustentasset eam, periret. Jam Parisiis *Mons Pietatis* seu Misericordiæ fons, Ipso operante erigitur. Jam spreti infantes suum habent reclinatorium, Peregrini hospitium. Senio confecti artifices, requiem. Lotaringia, Campania, Picardia, Hibernia aliæque finitimæ Provinciæ, suum salvatorem dicant *VINCENTIUM*. Nam ita hæc loca curabat & alios proximos ut se & Domum suam spoliaret ad ultimum obolum ipsam sibi *Providentiam Dei* relinquendo, miseris opes transmittendo.

Sufficit Aristidi justitia, Argo circumspectio, Catoni Gravitas, Numæ pietas, Diogeni paupertas, Herculi sæva pati, Dædalo ingenium, Harpocrati silentium, multosque alios divisæ virtutes beatos efficiunt: Noster *VINCENTIUS* collecta tenet, Seu LILIUM nostrum, non virtutis sed virtutum & meritorum fragrantissimum spargit odorem. Quid quæris in VINCENCIO? si pauperem vis? nihil hadet proprium. Si humilem videre cupis? terram se putat non hominem. Si fortem? patientiam pinge ex illo, jam enim & in carcere, & diffamatus de furto, & injuriatus à militibus & ex equo lapsus & in insidiis DEUM laudat

Æquam sciens rebus in arduis,
Servare mentem, non secus, ac bonis.

Numam Romæ non quæras VINCENTIUS pietas est, dum de die bis centies & vigesies poplite flexo DEUM adorat, discooperto capite Novum legit Testamentum, preces flectendo etiam æger recitat, nec intra cubiculum ob vires debiles, sed in Ecclesia Sanctissimum celebrat Sacrificium, Demosthenem si non vidisti, VINCENTIUS & Pericles & Demosthenes est, silent infulata capita, maluntque audire *VINCENTIUM* quam perorare: unde non mirum, quód *Coronatum caput Poloniæ serenissimi olim coniunx JOANNIS TERTII ANGELUM* eum nominaverit, cum cæleste eloquium

ab eo

ab eo non humanum audierit. Centoculum impoſſibile agere Argum quisquis credit? deponat hîc dubium, nam Ipſe & tercentoculos tranſcendit circumſpectores. Noverat Ipſe omnes Dæmonis aſtus, noverat, quàm circuit quærens quem devoret, unde arma contra ipſum in *Sanctis recollectionibus* parat: Clero verò in *Exercitiis Spiritualibus* repreſſalia contra inſenſatum porrigit hoſtem. Juſtum quæris? *VINCENTIUS*, neminem promovit ad honores, niſi dignum, & reſpectum etiam mæcenatibus ſuis non oſtendit, ſed juſtitiam. Fuerat Juſtus ſed ſimul & Clemens, regebat enim *Filios ſuos ut Pater*. Nemo ab eo triſtis abiit, nemo acceſſit, quin melior evaderet & nemo evaſit melior, qui partem Ejus non haberet. Si autem punire quemcunque contigit, puniebat crimina perſonarum, non perſonas: detegens maculas in homine, non hominem flagello maculans, tantumque odio habens, quod DEO foret odibile, & amans, quod legi Conſonum & amabile. Vidit hoc Monarcha Galliæ glorioſiſſimus *Ludovicus* 13, & illi ſuam commiſit conſcientiam, nec ſine ipſo mori voluit, ratus LILII noſtri odore, ad cæleſtia tranſplantari viridaria. Lugeret orbatum Principe Regnum Monarcham, nequiretque conſolari, niſi VINCENTIUS, invitus & coactus teneret in Parlamento Regimen. Sic minor Telluri luctus eſt occidente ſole, cum cælum occupat Cynthia: nec tanta orbitas fuit, cum pro quieſcente Philippo vigilaret Antipater. Nec *Tu Novennocollis* CULMA malum aliquod exhorreas, cum hoc LILIUM in FILIIS Ejus clara JLLUSTRISSIMORUM HÆREDUM *Suorum* Tuo Viridario implantavit munificentia. Habes quo glorieris odore, cum ſemper novam in Eis virtutum videas fragrantiam. Unde ſi ſerpentes infauaſt alias malorum te oppugnare vellet Jlias. LILIUM hoc oppone & remedium poſuiſti, quo abiges perimasque nefanda. Vobiſcum interea loquor & LILIUM meum an emarcuit? an ſurreptum. Sed Coniicio auditores, Cælum nobis tantam inviderat fragrantiam & in ſuos tranſplantavit Elyſios. O cæli ſi Hercules viveret usque hoc *LILIUM*, ut in Heſperiis olim recuperaret, nec ipſe finerem vos injurios dicere, niſi ſcirem, quod nobis Candorem ſolatiorum, felicitatum omniumque bonorum odorem etiam de Cælis hoc ſparſurum ſit

LILIUM? Dixi.

(O)